



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica  
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

**Valiero, Agostino**

**Coloniae, 1582**

De probatio[n]e ab authoritate sedis Apostolicę. Cap. XXXXV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)



sit adhibenda, quanta si ipsius Saluatoris nostri ore lata  
 fuissent. Verum cum de Indulgentijs sermonem habebit  
 ad populū Ecclesiasticus orator, eas esse thesauros, quos  
 Christus sponsæ suæ Ecclesiæ donauit, demonstrabit. Nam  
 ut merita Christi, cuius vna gutta sanguinis sufficiebat  
 ad redimendos omnes Christianos, merita etiam san-  
 ctorum martyrum, & preces Ecclesiæ, in indulgētiarum  
 thesauro, sunt recondita, valere plurimum ad leuandam  
 pœnā, cui obnoxij sumus, deleta iam culpa, quam indul-  
 gentissimus pater Deus peccatoribus remittit: dispensa-  
 torem huius thesauri, esse Christi vicarium; ab illo con-  
 cedi solitas indulgentias ad gloriā Dei, & ad populorum  
 salutem, ac excitandos homines ad egregium aliquod o-  
 pus: neminem, qui mortali peccato sit contaminatus, &  
 qui ea, quæ sanctissimus pontifex iussit, non obseruauerit,  
 tanti beneficij participem esse: Iubileum Plenariam In-  
 dulgētiā concedi, ut humanā infirmitati succurratur,  
 ad conseruandam reuerentiam erga sanctam Sedem A-  
 postolicam, ad confirmādā fidem catholicā, & ad ex-  
 citandam in animis hominum spem diuinæ misericordie.

De probatiōe ab authoritate sedis Apostolicę.

Cap. XXXV.

**S**EDIS Apostolicę authoritas, hoc est, Romani Pon-  
 tificis decretum satis est firmum argumentum ad fa-  
 ciendam fidem: nam ipse est Christi Vicarius, & legiti-  
 mus successor Petri, eādē, quam Saluator noster Petro  
 tribuit, nō solum authoritatem & potestatem, sed etiam  
 fidei firmitatem & stabilitatem habens; cum ea verba,  
 Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua; & tu  
 aliquan-



aliquādò conuersus confirma fratres tuos, ad eum etiam pertineant: ità vt in eis, quæ ad sanctissimam Christi, cuius vicem in terris gerit, religionem spectant, errare nullo modo possit: præsertim cum Romani Põrifices, vt B. Gregorius scribit, nihil sine cõsilio grauissimorum hominum decernere consueuerint. Quando se offeret occasio, de potestate summi Põrificis Christi Vicarij aget; et ità ad populum dicet: quemadmodum nullum exercitum sine imperatore, nullum regnum sine rege, nullam domum sine patrefamilas; ità sine supremo pastore Christi Vicario, Ecclesiã regi non posse: indè ortos errores, quod membra à capite dissecta sunt.

De probatione ab authoritate Conciliorum.

Cap. XXXVI.

**M**AGNA est etiam authoritas sanctorũ patrum, qui à Spiritu sancto in sanctis concilijs sunt congregati; ità vt in ijs, quæ ad confirmandam fidem Christianam, & ad salutem animarum consequendam pertinent, nulla ratione errare possint. Nam cum Episcopi sint tanquam columna Ecclesie & capita, à quibus ceteri omnes fideles pendet: si ipsi in errorem ducerentur, necessè esset, quod accidere nõ potest, vt omne Christianum aedificium corrueret; hæreses, multis iam seculis damnatæ, conciliorũ authoritate reuiuiscerent; symbolũ Nicenum esset ambiguum: deniq; nulla certa via esset, qua in fidei controuersis catholicũ dogma exploraretur. Ad hæc cum beatus Augustinus affirmet, vniuersalis concilij sententiam, totius Ecclesie consensum esse: & cum Apostolo nulla alia commodior ac faciliior via visa sit ad veritatem in questione exorta inuestigandam, quàm si ad concilium